

Stigmata Iesu in super corpore meo porto.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli ad Gálatas 6, 14-18

Fratres:

- ¹⁴ **M**ihi absit gloriári,
nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
per quem mihi mundus crucifíxus est,
et ego mundo.
- ¹⁵ Neque enim circumcísio áliquid est neque præpútium
sed nova creatúra.
- ¹⁶ Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint,
pax super illos et misericórdia
et super Israel Dei.
- ¹⁷ De cétero nemo mihi moléstus sit;
ego enim stígmata Iesu in super córpore meo porto.
- ¹⁸ Grátia Dómini nostri Iesu Christi
cum spírítu vestro, fratres.
Amen.
- Verbum Dómini.